

Decretum confirmat.

quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum presentium auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiciamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfate Congregationis Cardinalium.

Decretum insertum.

§.3. Decernentes easdem presentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Nov. 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

Dat die 27. Nov. 1663. A. IX.

C D L I X.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, ut deinceps in Provincia S. Antonii in Regno Portugallie Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum fervetur Breve Clementis VIII. circa fundationem novorum Conventuum aliorum Regularium mendicantium, ita ut non possit procedi ad hujusmodi fundationes, nisi in distantia saltem quinque leucarum a Conventibus dictæ Provincie Sancti Antonii.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provincie S. Antonii in Regno Portugallie Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum exposito, quod dilecti pariter filii Fratres Provincie de Arabida ejusdem Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum Conventus in locis de Condexa Columbrien., & de Cham Parochie S. Quintini Ulixbonen. respective Diocessum de novo fundare, & erigere intendebant in maximum præjudicium, & damnum dictæ Provincie S. Antonii, quæ Conventus illic vicinos habet, & quaestiones ibidem exercere solet, cupiebant; propterea dicti Exponentes qua-

dam felic. record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis litteras pro Provincia Carthagenen. dicti Ordinis emanatas, per quas fundatio Conventuum Mendicantium intra spatium quatuor, vel quinque leucarum a Conventibus hujus Provincie prohibita fuit, ad prædictam Provinciam S. Antonii extendi, & præfatis Fratribus Provincie de Arabida fundationem prædictorum Conventuum similiter prohiberi: emanavit a dicta Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Decretum Sacre Congr.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, ac audito Commissario Curie Ordinis hujusmodi, Sanctissimo Domino Nostro annuente, decrevit, & mandavit, ut deinceps in præfata Provincia S. Antonii Regni Portugallie servetur memoratum Breve san. me. Clementis VIII. circa fundationem novorum Conventuum aliorum Regularium Mendicantium, ita ut non possit procedi ad hujusmodi fundationes, nisi in distantia saltem quinque leucarum a Conventibus dictæ Provincie S. Antonii, & ita harum vigore decernit, & mandat; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romæ 12. Decembris 1663.

M. Cardinalis Ginettus.

E. Episcopus Camerinen. Secr.

Decreti confirmat.

§.1. Cum autem, sicut præfati Exponentes Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius substantia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostre robore communiti summopere desiderent: Nos specialem, ipsi exponentibus gratiam facere volentes & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum presentium auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiciamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfate Congregationis Cardinalium.

Clausula.

§.2. Decernentes easdem presentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non

AN. CH. 1664.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciarum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Januar. 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

Dat. die 4. Jan. 1664. An. IX.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Annulatio Capituli Provincialis Provincie Sanctorum Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicane, cum approbatione divisionis dictæ Provincie in duas, unam scilicet Lugdunen. sub nomine S. Ludovici, & aliam Aquitanie sub nomine S. Elzearii, cum aliis ordinationibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Illius, qui charitas est, & Deus pacis vices licet immeriti gerentes in terris, in eam præcipue curam sollicitis studiis incubimus, ut exorta, inter Christianifideles altissimi obsequiis sub suavi religionis jugo mancipatos dissidia, opportunis rationibus componere satagamus. Itaque cause nullitatis Capituli Provincie Sanctorum Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicane, & super ejusdem Provincie divisione mota, & agitata, prout latius in causa hujusmodi fuit deductum, finem imponere cupientes de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui partes pluries audiverunt, remque mature examinarunt, & perpenderunt, consilio, auctoritate apostolica tenore presentium decernimus assertum Capitulum Provinciale nuper celebratum de mense Junii proxime præteriti pro Provincia Sanctorum Ludovici, & Elzearii annullandum fore, & esse, ex quo in illa non fuit servata forma præscripta in Decreto Congregationis eorumdem Cardinalium sub die 13. Aprilis, neque alia servata servanda; prout per presentes assertum Capitulum præfatum, omninoque in eo gesta annullamus, & irritamus, & ad hanc Sanctam Sedem Apostolicam devoluta esse declaramus, & decernimus.

Annulatio pro in sub.

§.1. Ex benignitate tamen nostra, &

pro bono pacis, & quietis præfate Provincie, & Conventuum, tam pro parte Lugdunensium, quam Aquitanorum, approbamus, ac dicta auctoritate statuimus, & instituimus divisionem præfate Provincie in duas, unam scilicet Lugdunen. sub nomine Sancti Ludovici, & aliam Aquitanie sub nomine S. Elzearii juxta confinia stabilita, & declarata in quadam asserta concordia inita in Conventu Moliningilbertano, & nuper in præfato asserto Capitulo acceptata, citra tamen aliquam approbationem assertæ concordie, & presentis Capituli.

Divisionem statuit.

§.2. Insuper cum pro parte dilectorum filiorum Fratrum, & Conventuum dictæ Provincie Lugdunen. S. Ludovici nihil fuerit deductum contra electiones, & electos Superiores, & Officiales dictæ Provincie, & Conventuum illius, sed illis acquiescant, eosdem, ut præfertur, licet nulliter electos in Superiores, & Officiales præfate Provincie S. Ludovici, & Conventuum illius, auctoritate, & tenore prædictis eligimus, ac deputamus in Superiores, & Officiales, ut supra, & pro legitime electis, & deputatis ex nunc haberi volumus, & mandamus sanando, & validando eadem auctoritate omnia, & quæcumque per eosdem gesta in præteritum: Quo vero ad Provinciam Aquitanie S. Elzearii, cum electiones, & gesta pro illius parte fuerint impugnata, aliisque justis de causis ex benignitate statuimus, ac decernimus, ut quam primum fieri poterit, & Præsidenti deputando visum fuerit opportunum celebratur Capitulum, in quo vocem habeant illi, qui pro parte Provincie, & Conventuum Aquitanie vocem in dicto Capitulo nuper nulliter celebrato habere poterant, seu debebant; Videlicet Guardiani Conventuum Aquitanie, qui fuerunt electi in Capitulo celebrato de anno 1660., & fuerunt confirmati, seu electi in ultima Congregatione habita ante assertum Capitulum nuper celebratum, quos omnino admitti, & recipi volumus, & mandamus in dictis Conventibus, & eorum gubernio respective sub poena reventibus, & inobedientibus privationis vocis activæ, & passivæ per triennium, & in subsidium excommunicationis, necnon vocem habeant Definitor, & Secretarius ex Conventibus dictæ Provincie, qui jus habebant ferendi votum in sepedicto Capitulo nuper nulliter celebrato, & insuper Discreti eligendi in singulis Conventibus dictæ Provincie Aquitanie, cui quidem Capitulo, ut dictum est celebrando pro Provincia Aquitanie S. Elzearii in Conventu Tolosano præsit nomine, & auctoritate nostra Venerabilis Frater Episcopus Castren., & eo absente, seu alias impedito, Venerabilis etiam Frater Episcopus Lumbarien., & eo pariter impedito, Venerabilis Frater Episcopus Riven., quibus ad effectum exequendi omnia in presentibus litteris contenta, facultates necessarias, & opportunas auctoritate præfata eorumdem tenore presentium concedimus, & imper-

Nullitatem ordinationis.

Decer.

Decretum in  
ritais .

§.3. Decernentes ipsas presentes lites semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in premiffis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si fecus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarius  
decat.

§.4. Non obstantibus premiffis, ac fere: Bonifacii Papa VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dammodo aliquis auctoritate præsentium ultra tres dietas in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, Congregationis, Provinciae, seu Provinciarum, & Conventuum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21.  
Jano 1664.  
An IX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Januarii 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXI.

Ex Reg. in  
Secret. Breve.

Confirmatio Decretorum a Priore Generali Ordinis Carmelitarum in Visitatione Provinciae Turoniae dicti Ordinis pro tollendis controversiis inter Fratres Provinciae hujusmodi super modo eligendi Officiales vertentibus editorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

AD Pastoralis dignitatis apicem, nullo licet meritorum nostrorum suffragio evecti, illa, quæ a Superioribus Regularibus pro tollendis inter religiosos viros exortis dissidiis, firmandaque inter eos fraternam animorum concordiam, ac solidius stabilendam regulari observantia prudenter, & salubriter facta, & decreta esse noscuntur, libenter cum a Nobis petitur, Apostolici muniminis præsidio roboramus.

Expositio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Hieronymus Ari Prior Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quod ipse occasione Visitationis Provinciae Turoniae dicti Ordinis nuper ab ipso peractæ, contro-

versas, quæ inter dilectos filios Fratres ejusdem Provinciae vertebant super modo eligendi Officiales composuit per quadam Decreta ea super re edita, & a Generali Congregatione Provinciae hujusmodi acceptata, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Frater Hieronymus Ari Artensis Magister, ac humilis Prior Generalis, Commissarius, & Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum Beatissimæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

Nihil magis in votis fuit, ex quo Ordinis gubernaculo admotum sumus, quam ut dilectissimæ nostræ Provinciae Turonensis tranquillitatem procurare, & exortas in ea opinionum diversitates conciliare possemus. Factum tamen est, Divino providente Numine, ut licet ad hoc conficiendum negotium, quod semper maximi momenti visum est statim ab initio Generalatus nostri advolare, cupierimus, fuerimusque nihilominus variis occurrentium impedimentorum occasionibus retardati: Tandem aspirante Dei gratia, post visitatos nonnullos Conventus e præcipuis, accesserimus in hunc Rhedonensem, quem utopate nascentis Observantia strictioris utabulum, selegimus in cæteris, ad habendam generalem Congregationem totius Provinciae; ad quam cum omnes Superiores, & Discreti Conventuum, necnon cæteri, ad quos de jure pertinebat juxta Constitutiones Reformationis *Part. 3. Cap. 17.* confluerint, omniaque peracta sint, quæ inibi servantur: nihil magis opportunum duximus ad præscriptum pacis publicæ finem assequendum, quam si omnes, & singulos dictæ Congregationis Eremiales seorsim vocaremus, & in privato scrutinio, pro Officii nostri auctoritate, & eorum conscientie debito, obligarem, ad significanda Nobis præsentis divisionis tum principia, & causas, tum remedia. Cui rei cum seduli vacaverimus, & ad unum omnes audierimus, eorumque vota scripto accepta, & ab ipsis Chyographo suo munita, attente, ac mature consideraverimus, fuisque ad Deum, quam potuimus, ardentissimis precibus, consilium a Patre luminum, & Spiritu Sancti, in re tanti momenti decernenda, auxilium efflagitaverimus, nulla alia ratione ducti, quam boni publici hujus Provinciae; demum audito consilio, & voto R. admodum P. Leonis a S. Joanne Assistentis nostri Generalis per Galliarum Provincias, decernimus ad hanc sententiam, ut pacem, & disciplinam regularem instaurari non posse judicaverimus, nisi per praxim sequentium Decretorum, quæ sub beneplacito Sedis Apostolicæ condimus.

Nonnulla de  
creta.

Primo. Ad evellendam emulationis, & divisionis inter Nationes radicem; Decernimus; ut Superiores omnes hujus Provinciae Turonensis, sicut per successivam mutationem, hac ratione, scilicet, ut tam Præses Capituli Provincialis, quam Provincialis ipse, per turnum tam ex Britonibus, quam ex non Britonibus instituantur; ita tamen ut cum Præses, seu Provincialis erit

Britæ

Britæ, socium assumat non Britonem, & e contra.

Secundo. Ut ex quatuor Definitoribus, duo sint semper ex Britannia, & duo alii ex alia parte Provinciae.

Tertio. Ut ex duobus Sociis ituris ad Capitulum Generale, unus sit Brito, & alter non Brito.

Quarto. Quia æquum non est, ut Præses, & alii, quibus constat Definitorium, utantur auctoritate sua ad componendas Familias cū acceptance Conventuum, quorum essent Priores: decernimus, quod neque Præses Capituli, neque Socius, sive Præfideis, sive Provincialis, neque ullus ex Definitoribus, possit esse Prior, durante illo triennio, sub poena nullitatis.

Quinto. Custos, sit semper de eadem parte Provinciae, ac Provincialis.

Sexto. Duo habeantur Novitiatus, unus in Britannia, & alter extra Britanniam, in quibus Novitii Clerici ( qui debent ex utraque parte promiscuo admitti ad professionem) non admittantur ad illam nisi duodecim in quolibet Novitiatu, per annum. Poterit tamen Provincialis, in extraordinariis casibus, unum, aut alterum pro sua prudentia superaddere: In Conventibus autem Civitatum, in quibus sunt Collegia, nominentur Patres a Definitorio, ad quos spectabit postulantes in sua vocatione fovere.

Septimo. Quia reperimus hanc Provinciam debitis onerata, ad summam circiter triginta millium librarum: Statuimus, ut eadem Provincia solvat quotannis bis mille libras, ad extinguendum paulatim hoc modo fundum illius census annui. Hujus autem nostri Decreti executionem commendamus, & ordinamus R. admodum Provinciali pro tempore existenti sub poena suspensionis ab officio infligenda tam ipsi, quam Prioribus, qui taxam pro debito isto extinguendo faciendam persolvere renuerent. De cætero præcipientes, ut articuli Statutorum de bursa communi executioni demandentur.

Octavo. Ut omnibus litibus, dissensionibus, ac controversiis, quæ charissimam hanc Provinciam, a qua Reformatio duxit exordium, ab annis aliquot turbaverunt, finem, ac perpetuum silentium imponamus, eaque omnino, imo eorum memoriam, quantum in Nobis est, aboleamus. Auctoritate nostra, tum ordinaria, tum speciali, a Sanctissimo D. N. Alexandro VIII. pro sua benignitate Nobis specialiter attributa remittimus omnibus omnes omnino poenas, quas dictarum litium, & controversiarum occasione, eos incurrisse contigisset. Volumus etiam ut omnes libelli circa hanc materiam evulgati, penitus supponantur. Atque ut in posterum omnes unanimiter laborent, pro asserendo in integrum honore mutuo, per istas lites immutato, mandamus districte, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub poena privationis utriusque vocis, omnibus nostris Inferioribus, ne quis alterutri partium, aut alteru-

tri partialium, directe, vel indirecte, verbo, vel scripto, quidam de præteritis exprobare audeat. Præcipientes Superioribus & maxime Provinciali per tempus existentium, ut hoc nostrum generalis amnistie Decretum inviolabiliter observent, & observari curent: in quo eorum conscientiam, in die Domini, oneramus, etiam Anathema, & maledictionem Dei apprecantes, illis omnibus, qui scienter, quovis quæsito pretextu, huic nostro mandato, adeo necessario paci stabilienda, reparanda observantia regulari, & publicæ ædificationi promovenda contravenire ausi fuerint.

Nono. Ut autem facilius possint misceri inter se Religiosi, sicque animi coalescere, & reconciliari, statuimus, ut in posterum sint semper in Britannia sex Priores non Britones, & sex quoque ex Britannia sint Priores extra Britanniam, sex vero alii Conventus cujuslibet partis per turnum, & successivam mutationem, administrantur subsequente triennio, a Britonibus, & non Britonibus. Hic autem est Conventuum ordo, secundum dignitatem. Britonibus assignantur pro triennio proximo, Conventus Rhedonenfis, Andegavenfis, S. Annæ, Pictavenfis, Ploermelenfis, Rupellenfis, Juliodonenfis, Bonidoni, Hennebontenfis, Aulnenfis, Josselinenfis, ac S. Josephi. Pro non Britonibus Parisiensis, Turonensis, Nannetenfis, Aurilianensis, Paulopolenfis, Pontis Abbatis, Flexienfis, Dolensis, Quintinenfis, Vivonenfis, Flosselerienfis, & Guillonensis. Quod si futurum sit aliquando impar Conventuum numerus, quando in uno triennio nominatus fuerit pro una parte excedens numerus, sequenti triennio designabitur pro altera.

Decimo. Quia vero præter hæc nostra Decreta, universali paci Provinciae conducentia, aliqua alia animadvertimus in Visitationibus Conventuum, quæ declarationem nostram, & ordinationem exigere videntur: propterea de rebus illis particularibus non ante decernemus quam declarationes nostras absolverimus in hac Provincia; cui ante discessum nostrum, conabimur omnia paternæ benevolentia, & sollicitudinis exhibere testimonia.

Undecimo. Ad impetrandum autem a Deo, per intercessionem Sanctissimæ Virginis, singularis Ordinis nostri Patronæ, pacis, quam cupimus, stabilire firmitatem; statuimus, ut singulis diebus, durante Oratione mentali, vel circa primam, Missa de Beata Virgine submissa voce dicatur in omnibus Conventibus. Diebus autem Dominicis, ac Festis solemnibus duplicibus, poterit celebrari de officio diei, cum commemoratione Beatæ Virginis, & istud non impedit quominus satisfiat alicui intentioni particulari pro debito Sacristia.

Cum pro terminatione Congregationis inquisissemus ab omnibus utriusque partis, in confesso congregatis, num vellent renunciare omnibus retroactis, aut faciendis in posterum litibus, appellationibus, & oppositionibus, tam negotia Provinciae, quam

quam personas spectantibus, omnes una voce, & una acclamatione responderunt se renunciare: etiam comprecantes, ut publicum Instrumentum talis renunciationis fieret, cui omnes subscriberent, quod ultro statuimus, & ordinavimus.

Ceterum cum ad fovendam pacem necessariam judicemus, præter hæc nostra Decreta, exactam Constitutionum Reformationis praxim præterea impense, & in Christi Visceribus exhortamur Superiores omnes, ut quæ in officio eorum præscribuntur, maxime circa Visitationem inferiorum in cameris semel in mense, ac charitatem erga infirmos observent: Religiosis autem omnibus commodatum volumus, ut quæ tam sancte ordinata sunt circa assistentiam Chori, Orationem mentalem, & mansionem in cellulis, executioni demandare curent, rationem Supremo Judici ea de re reddituri. In quorum fidem, &c. Datum in Carmelo nostro Rhedonensi die 29. mensis Octobris Anno Domini 1662.

Fr. Hieronymus Ari Generalis Commissarius, & Visitator Apostolicus Carmelitarum.

Fr. Albertus a Sancto Joseph Secretarius Rmi, & Congregationis Generalis.

Nos infrascripti Generalis Congregationis Provincie Turonensis Gremiales, ex animo recipimus prædicta Decreta Reverendissimi Patris Generalis: gratias agentes Omnipotenti Deo, & Beatissimæ Dei Genitrici Virgini Mariæ Ordinis nostri singulari Patronæ, quod nostri tandem miserati, pacem reddere Provincie dignati sint, necnon Reverendissimo Patri, de susceptis pro charissima sua Provincia Turonensi laboribus.

Fr. Leo Assistens Generalis, & Provincialis Terræ Sanctæ, manu cordis.

Fr. Philippus a Trinitate Provincialis.

Fr. Sebastianus Fantonus Provincialis Hiberniæ Socius Rmi Patris Generalis, & Secretarius Ordinis.

Fr. Mathias a Sancto Joanne Socius Rmi.

Fr. Symphor. ab Assumptione primus Definitor.

Fr. Basilius a Sancto Joanne secundus Definitor, & Prior Carmeli Andeg.

Fr. Stephanus a Sancto Joseph tertius Definitor, & Prior Rhedon.

Fr. Renatus a Sancto Alberto quartus Definitor P. Nannet.

Fr. Constantinus a Sancta Cruce Rev. Patris Provincialis Socius.

Fr. Theophilus a Sancto Claudio Prior Ruppell.

Fr. Marcus a Nativitate Beatæ Mariæ Virginis Prior Turon.

Fr. Melanius a Sancto Joanne Baptista Prior Ploerm.

Fr. Claudius a Sancta Anna Prior Aurel.

Fr. Renatus a Sancta Theresia Prior Juliod.

Fr. Martinianus a Sancto Joanne P. Sancti Pauli Leon.

Fr. Martialis a Sancta Maria Prior Pictaven.

Fr. Anselmus a S. Carolo Prior Aulenti.

Fr. Stephanus a Sancto Xaverio Prior Pontis Abb.

Fr. Placidus a Purificatione Prior Henueb.

Fr. Macharius a Sanctissimo Sacramento Prior Vinon.

Fr. Columbanus a Sancto Spiritu Prior Dolen.

Fr. Romanus a S. Xaverio Prior Bonidon.

Fr. Petrus a Sancto Thoma Vicarius Generalis Monialium Sancti Sepulchri Rhedon., & Bethleem Ploermel.

Fr. Guillelmus a Sancta Martha Prior Sancti Josephi.

Fr. Eleseus a S. Antonio Prior Guildon.

Fr. Donatianus a Sancto Nicolao Prior Quintin.

Fr. Beniaminus a Sancto Petro Prior Sanctæ Annæ.

Fr. Beniaminus a Sancto Joanne Prior Josselin.

Fr. Gratianus a Sancto Stephano Prior Flexin.

Fr. Damascenus ab Assumptione Prior Flocel.

Fr. Daniel a Sancto Josepho antiquissimus Professor Theol., & Exprovincialis.

Fr. Prosper a S. Ludovico Magister Novitiorum antiquior.

Fr. Avertanus a Sanctissimo Sacramento Discretus Rhedon.

Fr. Prosper a S. Petro Discretus Ruppell.

Fr. Hugo a Sancto Francisco Discretus Andeg.

Fr. Renatus a Sancto Joseph Discretus Toron.

Fr. Moderan. a Cruce Discret. Ploerm.

Fr. Eugenius a Sancto Bernardo Discretus Nannet.

Fr. Simplicianus a Sancto Francisco Discretus Aurel.

Fr. Ludovicus a S. Genovefa Discretus Juliod.

Fr. Dominicus a Stigmatibus Christi Discretus Paulin.

Fr. Leonardus a Sancto Egidio Discretus Pictaven.

Fr. Michael a Sancta Catharina Discretus Henneb.

Fr. Didacus a Sancto Angelo Discretus Vivon.

Fr. Leonardus a Sancto Alberto Discretus Dolen.

Fr. Robertus a S. Josepho Discretus Bonidon.

Fr. Laxarus a Sancto Francisco Discretus S. Joseph.

Fr. Bruno a S. Joanne Discretus Guildon.

Fr. Thomas a S. Hieronymo Discretus Quintin.

Fr. Sebastianus a Jesu Maria Discretus Sanctæ Annæ.

Fr. Licinius a Sancto Michaeli Discretus Josselin.

Fr. Joseph a Sancta Catharina Discretus Parisien.

Fr. Prenens a Sancta Catharina Discretus Flex.

Fr.

Fr. Valentinus a Sancto Josepho Discretus Flocel.

Fr. Albertus a S. Joseph Secretarius Reverendissimi, & Congregationis Generalis.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Hieronimus Prior Generalis Decreta hujusmodi, ut firmiter subsistant, & serventur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communi summpere desideret. Nos ipsius Hieronymi Prioris Generalis desiderio quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinanti omnia, & singula Decreta præinserta a præfato Hieronymo Priore Generali edita, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§.3. Decernentes easdem presentes litteras, necnon omnia, & singula Decreta, præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quoadcumque spectabit, inviolabiliter, & inconculse observari, illisque respective in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Siquæ in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provincie Turoniæ, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque;

§.8. Volumus autem, ut earumdem presentium litterarum transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo perforato.

Decretum præinsertum confirmat.

Clausula:

Derogatio contentis.

Transumptis credi mandat.

na in ecclesiastica dignitate constituta munis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsimet presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Januarii 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

Dat. die 25. Jan 1664. An. IX.

CDLXII.

Decreta pro Limana provincia in Indiis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum stabilita.

ALEXANDER PAPA VII. Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de la Rosa Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod pro Provincia Limana in Indiis distri Ordinis ad hoc ut promovendi ad Præsentaturæ, & Magisterii gradus, & virtute conspicui, & literis satis, superque condecorati sint, statutum fuit, quod nullus ex Fratribus Provincie, & Ordinis hujusmodi ad Præsentaturæ, & Magisterii gradus promoveri possit, nisi prius infra scriptas condiciones adimpleverit, & secundum eas qualificatus existat. Videlicet.

Expositio.

Nonnullæ conditiones.

§.1. Ut nullus ad Præsentaturæ de lectura lauream exponatur, qui non legerit ultra tres annos Logicæ, & Philosophiæ duos alios annos Theologiæ Scholasticæ assistendo conferentis, & aliis actibus pro Magistris designandis; idque non ubique locorum, sed tantum in aliqua Universitate approbata, vel in aliquo Conventu ejusdem Ordinis studiis, literariisque exercitationibus deputato. Post hæc, ut de eorum sufficientia constet, in Collegio S. Petri Nolasci Limano nuperrime ædificato sequentibus actibus literariam reducat ad trutinam: Semel, sed publice conclusiones defendens, ad semihoram præmissa præfatione a quatuor Magistris proposita argumenta dissolvat. Deinde per horæ spatium punctum ex sententiarum Magistro desumptum, quod ante vigintiquatuor horas sibi forte contigerit, elucidet, & sententiam propositam impugnantibus quatuor Magistrorum telis obstat.

Tunc Examinatores ad rem dijudicandam electi ( præmissis in Receptoris manibus fidelitatis juramento, nempe nec se directe, nec indirecte Præsentaturæ candidato suggestisse argumenta, nec se nisi benemeritum, & dignum approbaturos ) secreto ferant calculum, & faventibus pluribus suffragiis Receptor ad Prolistæ, seu Licentiatum gradum evehat, quibus capax evadet Præsentaturæ de numero Provincie. Et nemo ad prædicta suffragia admittatur, quin prius de materia sibi a forte præscripta, saltem per tres horæ quadrantes differuerit.

Insuper, & Examinatores ad hanc functionem nominandi, sint Magistri de numero

X x

mero

mero Universitatis, Cathedralici Ordinis prædicti, Regens præfati Collegii, & Primarius Lector, quibus Collegii ejusdem Rector uti Præses assistat. Deinde: ut his tantum de Prædicatorum Præsentura benemeritis habeatur, qui decem annis alicujus Domus Conventualis Concionator speciali rescripto assignatus, triplicis Quadragesima Feriis cum approbatione verbum Dei prædicaverit; quo tempore transacto, in Collegio prædicto concionetur semel per unam horam de Evangelio, & materia sortita per viginti quatuor horas antecedentes: quo finito ad suffragia admittatur eadem forma, & eisdem supra relatis Examinatoribus approbandus. Postremo, ut qui in dicta Provincia Magisterii laureola condecorandi fuerint, prius lecturi sint quotidie unam Theologiæ Scholasticæ lectionem per trium annorum spatium supra illos quinque ad Præsenturam requisitos: Probationes autem, & informationes Lectorum in Capitulo provinciali, & faciendæ, & approbandæ sint, ac in Collegio (præter ea, quæ ad Licentiatum gradum obtinendum effecerat) viginti quatuor horis antecedentibus per semihoram leget punctum super Scripturam Sacram sortitum, & per spatium alterius semihoræ duorum Magistrorum oppositis argumentis obfuset. Quibus peractis ad suffragia admittatur, & numerosiori Examinatorum calculo approbatus a Rectore Collegii ejusdem Magister eligatur, quo præcedente gradu, ad gradum Magistri de numero dignus iudicetur.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, præmissa omnia uti iusta, & rationi consona dilectus filius Magister Generalis dicti Ordinis approbaverit, & confirmaverit: Firmiora vero, & validiora sint illa, quæ hujus Sanctæ Sedis patrocinio roborantur: Nobis propterea dictus Franciscus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

Supra dictas Ordinationes confirmat.

§.3. Nos igitur ipsum Franciscum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui præinfertas ordinationes, & dispositiones mature considerarunt, consilio, easdem ordinationes, & dispositiones auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus; & in posterum vim statuti in præfata Limana Provincia habere decernimus: salva tamen semper in præmissis

auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§.4. Decernentes pariter easdem præsententes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrarium derogatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Febr. 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

Dat. die 8. Febr. 1664. An. IX.

CDLXIII.

Commissio Cardinali Carafa, ut compellat Ecclesiasticos Statuum Hereditariorum Electi Imperatoris, ad tradenda aurea, & argentea utensilia, exceptis Calicibus, & Patenis, & aliis Sacra unctioe delibutis eidem Imperatori, seu ejus Ministris in Subsidium Belli contra Turcas.

Dilecto filio nostro Carolo S. R. E. Presbytero Cardinali Carafa nuncupato.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. CUM sicut non sine gravissimo animi nostri dolore accepimus, immanissimus Christiani nominis hostis Turcarum Tyrannus anno superiore qua vi, qua fraude in intima, quin etiam extrema Regni Hungariæ, cujus Charissimus in Christo filius noster Leopoldus Romanorum Rex Illustris in Imperatorem electus, etiam Rex existit, armorum suorum viribus eo usque penetraverit, ut non solum cuncta in sua jura, legesque coegerit, sed etiam aliis Provinciis partim contemnis, partim dissitis vastitatem posthac committetur; Et quamvis dictus Leopoldus Rex nihil

nihil omnino intermiserit, quo tam formidabili Turcarum potentia, ceu torrenti è supernis per de cliviarum repagulum aliquod opponeret; re tamen accurate pensata id omnino explorato constet, nec vires ærarum ejusdem Leopoldi Regis, nec facultates Laicorum ejus ditiorum hereditariarum tantæ belli molis usquequaque pares fore: Ex redditibus vero personarum ecclesiasticarum præfati Hungariæ, ac Bohemiæ Regnorum, necnon Archiducatus Austriæ, cæterorumque Statuum, Provinciarum, Ditionum, & Dominiorum hereditariorum ipsius Leopoldi Regis præsentaneum, vigentissimisque necessitatibus hujusmodi congruens Subsidium haberi nequeat: Nos considerantes ea in re non minus Dei, cuius Templi, & Sacra violantur, & cultus cessat, ac Ministrorum ejus, quam prædicti Leopoldi Regis severissimo, injustissimoque bello a communi Republicæ Christianæ hoste petiti causam agi, quacumque alia promptiori ratione in tam urgenti, & evidenti necessitate eidem Leopoldo Regi pro recuperatione dicti Regni Hungariæ, Turcarumque inde expulsiōe, ac communis causæ tuitione subveniendum censemus. Habita itaque super his cum Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio, ac motu proprio, ac ex certa scientia nostra, & deque apostolicæ potestatis plenitudine circumspeditioni tuæ per præsentem committimus, & mandamus, ut omnes, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Capitula, Canonicos, & Ecclesiarum, ac locorum piorum quorumlibet Rectores, & Administratores, ceterasque personas ecclesiasticas Hungariæ, & Bohemiæ Regnorum, ac Archiducatus Austriæ, cæterorumque Statuum, Ditionum, Provinciarum, & Dominiorum hereditariorum prædictorum tam seculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, ac etiam Societatis Jesu, & Militarium, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, regulares utriusque sexus etiam non petita, aut obtenta cujusvis Superioris mediati, vel immediati regularium hujusmodi licentia, ac postpositis aliis quibuscumque excusationibus, & tergiversationibus ad tradendum, & consignandum dilecto filio nostro Ernesto Adalberto tituli S. Prexedis S. R. E. Presbytero Cardinali ab Harrach nuncupato Ecclesiæ Pragen ex concessione, & dispensatione apostolica, Præfati, necnon Ven. Fr. Salisburgen. & Strigoniensis Archiepiscopis, ac Episcopo Viennensi aut duobus saltem ex illis, seu si illi simul non reperiantur, aliis Regnorum, ac Archiducatus, Statuum, Ditionum, Provinciarum, & Dominiorum prædictorum Episcopis, vel duobus ex illis per te arbitrio tuo toties quoties opus fuerit, eligendi quacumque, & quacumque aurea, & argentea Ecclesiarum, & locorum piorum hujusmodi Vasa, Candelabra, Cruces, Thuribula, & alia utensilia, sive intra fines Regnorum, & Archiducatus, Statuum, Provinciarum, Ditionum, & Dominiorum.

Confirmat prout in rub.

prædictorum, sive extra illos asportata ubicumque gentium, & locorum existant (Calicibus, & Patenis, & aliis Sacra unctioe delibutis, dumtaxat exceptis, ut illa conflare, & in nummos prædicto Leopoldo Regi, seu ejus Ministris consignandos, & in prædictam causam dumtaxat expendendos cudi possint, cauto tamen arbitrio tuo de restituendis quam primum facultas suppetet, Ecclesiis, & Locis Pii hujusmodi aliis utensilibus aureis, & argenteis ejusdem ponderis, valoris, & qualitatis apostolica auctoritate nostra opportunis juris, & facti remediis etiam per censuras ecclesiasticas, omni, & quacumque appellatione, recurso, reclamatione, & exceptione remotis cogas, & compellas. Super quibus tibi quacumque necessariis, & opportuna facultatem tribuimus, & impertimur. Volentes pecuniarum ex præmissis redigendarum rationes seorsim haberi, illasque in causam belli prædicti contra Turcas, & non in alios quosvis usus cum tuo, vel aliorum a te, seu pro tempore existente nostra, & Apostolicæ Sedis apud memoratum Leopoldum Regem Nuncio ad id specialiter deputandorum subscriptione integre, & fideliter converti, & erogari.

Contraria tollit.

§.2. Non obstantibus, ac in universilibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Ecclesiarum, & Locorum Piorum, ac Ordinum, Congregationum, Societatis, Militarium, & Hospitalis prædictorum, & quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ecclesiis, & Locis Pii, ac Ordinibus, Congregationibus, Societati, Militis, & Hospitali prædictis, illorumque Præfatis, Capitulis, Abbatibus, & aliis Superioribus, ac personis quibuslibet, etiam in limine fundationis, & erectionis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio faciendæ, aut aliqua alia exquiritæ forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus, ac si de verbo ad verbum, ac forma in illis tradita servata, exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum, dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Aut si prefatis, aut quibusvis aliis communiter, vel divisim sit a Sede Apostolica indultum quod excommunicari, suspendi, & interdici non possint per Literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dno. die 23. Febr. 1664. An. IX.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Febr. 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXIV.

Commissio Cardinalibus ab Harrach., & Carase, ac Archiepiscopis Salisburgen., & Strigonien., & Episcopo Viennen. super impositione Subsidii, & Contributionis in Statibus Hereditariis electi Imperatoris.

Dilectis filiis nostris Ernesto Adalberto tituli Sanctae Praxedis ab Harrach., & Carolo S. R. E. Presbyteris Cardinalibus Carase nuncupato, ac Ven. Fratribus Archiepiscopis Salisburgen., & Strigonien., & Episcopo Viennen.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecti filii nostri, & Ven. Fratres salutem, & apostolicam benedictionem.

Procerum

CUM luctuosissimas Populorum strages, agrorum vastationes, Urbium expugnationes, Christi fidelium miserrimam in captivitate, & servitutem abductorum calamitates, aliaque innumera detrimenta, quibus nefarii Turcarum Tyranni copia anno superiore nobilissimum Hungaric Regnum, quod olim erat validissimum adversus Infidelium impetus Christianae Reipublicae propugnaculum, finitimasque Provimmani barbarie protriverunt, & direxerunt, e sublimi militantis Eccl. specula, in his difficillimis temporibus Nos meritis licet, & viribus longe impares, constituit Deus, mentis acie contemplantur, simulque quibus viribus, quoque apparatu idem immitis Tyrannus priorum expeditionum successu jam ferocior, bellum, & cladem in reliquis charissimi in Christo filii nostri Leopoldi Romanorum Regis Illustris in Imperatorem electi Ditiones hereditarias, indeque in alias Christianorum Principum, maxime Germanorum Provincias proferre molitur, & adornat, pastoralis sollicitudine consideramus, vehementer commoventur paterna nostra charitatis viscera, & pontificia vigilantia nostra ad avertenda, qua Populorum Christianorum praesertim bello propriorum, cervicibus imminet, pericula magis, magisque incitatur.

Motiva habet continuationis

§.1. Cum itaque sicut prefati Leopoldi Regis in Imperatorem electi nomine Nobis nuper expositum fuit, licet ipse Leopoldus Rex nihil omnino praetermiserit, quo tam formidabili Turcarum potentiae, ceu torrenti & supernis per declivia ruenti, re-

pagulum aliquod opponeret, re tamen accurate perpenſa, id omnino explorato confet, nec vires ararii ejusdem Leopoldi Regis tot sumptibus in hanc causam factis exhaustas, nec laicorum ejus Ditionum hereditarum facultates tantae belli molis usquequaque pares fore, cupiatque propterea idem Leopoldus Rex praesentaneo, opportunoque ex rebus, & bonis Ecclesiarum, & Locorum Piorum praedicti Hungariae, ac Bohemiae Regnorum, necnon Archiducatus Austriae, caeterarumque Provinciarum, Ditionum, Statuum, & Dominiorum hereditariorum ipsius Leopoldi Regis subsidio a Nobis juvari.

§.2. Nos considerantes ea in re non minus Dei, cujus Templi, & Sacra violantur, veraque Religio per mahumetanæ abominationis propagationem conculcatur, & pervertitur, ac Dei Ministrorum, Ecclesiarum, & Locorum Piorum, quorum aequae personae status, & bona summum in discrimen pariter adducta sunt, quam memorati Leopoldi Regis, qui majorum suorum Imperatorum, & Regum fortissimorum, pietateque, rerum gestarum gloria, & erga Catholicam Ecclesiam studio longe clarissimorum vestigia pari virtute premeus, tam effertato, potentique hosti omnivirium, animique contentione resistere, fatagit, universaque Christianae Reipublicae causam agi; Caesareae Majestatis postulatis annuendum, eique in tam evidenti periculo, ac necessaria, piaque causa quantum Nobis ex alto conceditur, quacumque promptiori, expeditiorique ratione subveniendum censemus. Et licet ab ecclesiasticarum personarum, Ecclesiarumque, & Locorum Piorum gravaminibus animo maxime simus alieni, nec quicquam Nobis magis cordi sit, quam eorum libertatem, & immunitatem illibatam conservare; cogimur tamen in hoc extremo labentium rerum Christianarum discrimine, cum aliunde tantum operis haberi nequeat, quantum praesens necessitas exigit, auxilium ex bonis Ecclesiarum, & Locorum Piorum postulare: rati neminem futurum, qui ejusmodi onus cum animi promptitudine non subeat; cum eorum maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, interstis infensissimos Christi hostes ab Altaribus repelli, & aequissimum videatur, ut speciales Ecclesiae filii communi Sanctae Matris Ecclesiae, eorumque Patriae periculo alacriter opitulari connitantur. Firmam quoque in Domino fiduciam habemus, fore, ut non solum inclite Germaniae Principes, & Status, quibus discrimen proprius impendet, ad ferenda Caesareae Majestati Subsidia hoc exemplo alacriores reddantur, sed etiam alii Principes Christiani, qua sunt in Deum pietate suam opem in causa communis tuitione desiderari minime patiantur. Habita igitur super his cum Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione maturata de eorum consilio his, justissimisque causis adducti, ac de vestra pietate, charitate, integritate, prudentia, rerum usu,

ac

ac rei Christianae, & Catholicae Religionis, bonique publici studio plene in Domino consilii de Nobis attributa divinitus potestatis plenitudine, circumspectionibus, & fraternitatibus vestris per praesentes committimus, & inandamus, ut vos, vel saltem major pars vestrum insimul congregati, sumptis prius iis informationibus, quas pro conscientiae vestrae instructione sufficientes duxeritis, unam subsidium, & contributionem ejus pecuniarum quantitatis, quam habita consideratione expensarum, pro causa urgentis belli huiusmodi contra Turcas necessarium, quibus subministrandis laicorum facultates non suppetant, ac pro modo facultatum, & bonorum ad Ecclesias, Beneficia, & Loca Pia infra scripta respective spectantium taxandam, statuendam, declarandam esse secundum conscientiam vestram in Domino arbitrati fueritis super omnibus, & singulis bonis, proprietatibus, fructibus, redditibus, decimis, censibus, obventionibus, emolumentis, aliisque juribus quibuscumque omnium Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiarum, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Hospitiorum, Domorum, & aliorum Locorum Regularium utriusque sexus, ac Archiepiscopatum, Episcopatum, Abbatialium, Conventualium, Capitularium, & aliarum mensurarum, Prioratum quoque, Praepositarum, Praepositarum, Praeceptoriarum, seu Commendarum, Canoniarum, & Praebendarum. Dignitatum etiam post pontificales majorum in Cathedralibus, & principalium in Collegiatis Ecclesiis personatum, administrationum, & officiorum, caeterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum etiam de jure patronatus dicti Leopoldi Regis, aliorumque Principum, & laicorum etiam ex fundatione, & dotatione existentium cum cura, & sine cura secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, aliorumque Ordinum quorumvis, etiam Mendicantium utriusque sexus, necnon Societatum etiam Jesu, Congregationum, & Institutum regularium quorumlibet, praeterea Hospitalium pauperum, hospitalitatem, non exercitium, seu bona, & redditus ultra usus Infirmorum, & alia pro quibus instituta sunt pia officia exercenda possidentium, necnon Beatae Mariae Theutonicorum, Sancti Lazari, Templi Dominici, aliarumque Militiarum, caeterorumque Locorum Piorum quorumcumque; in praefatis Hungariae, & Bohemiae Regnis, ac Archiducatu Austriae, caeterisque Provinciis, Ditionibus, Statibus, & Dominis hereditariis dicti Leopoldi Regis in Imperat. Electi consistentium per quoscumque Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos, Praepositos, Rectores, Beneficiarios, Abbates, Priores, Abbatissas, & Priorissas, Capitula, Conventus, Superiores, Monachos, Fratres, Clericos, & Presbyteros regulares, etiam dictae Societatis Jesu, Moniales, Administratores, Praeceptores, seu Com-

Commissio in rub.

mendatarios, aliasque personas, ad quas spectat, semel tantum, & quantocius fieri poterit persolvendum, & persolvendam auctoritate nostra apostolica imponatis, & indicatis, ipsiusque Subsidii, & contributionis ratas portiones singulas, & singulas Ecclesias, Monasteria, Collegia, caeteraque Pia Loca, & Beneficia praefata, ac eorum Capitula, Conventus, Praelatos, Rectores, Administratores, & personas quascumque respective contingentes, assumptis tamen, & adhibitis ad hoc aliquibus timoratae conscientiae viris earum rerum peritis, quos assumendos, & adhibendos esse censueritis, dicta auctoritate taxetis, definiatis, & determinetis, ac ipsas ratas, portiones sic taxatas, & determinatas per Commissarios, Exactores, Collectores, & Executores a vobis sicut infra dicitur constituendos, & deputandos, a quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis, Abbatibus, Prioribus, Abbatissis, Priorissis, Praepositis, Rectoribus, Superioribus, Capitulis, Conventibus, Beneficiariis, & personis Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus utriusque sexus etiam dictae Societatis Jesu, ac Ecclesiarum Pastoribus, Praelatis suis deservitarum, Oeconomis, & Administratores, aliisve quibuslibet, ad quos spectat, & spectabit cujuscumque qualitatis, status, ordinis, praeminentiae, conditionis, & dignitatis, ac quocumque privilegio, immunitate, exemptione reali, personali, & mixta quantumlibet antiqua, & pacifica, nec unquam interrupta, & libertate suffulti, seu alia specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, omni, & quacumque appellatione, exceptione, reclamazione, recurſu, excusatione, & tergiversatione remotis, & postpositis, eadem auctoritate exigatis, & exigantur, illisque, & eorum quemlibet tam conjunctim, quam divisim ad veram realem, & actualem solutionem portionum Subsidii, & contributionis huiusmodi eos respective tangentium sine ulla mora faciendam, opportunis juris, & facti remediis, & per censuras Ecclesiasticas dicta auctoritate cogatis, & compellatis.

§.3. Ut autem subsidium, & contributio huiusmodi, sicut praemittitur, a vobis imponenda, & indicenda quantocius persolvi valeant, vobis, seu majori parti vestrum, quatenus tamen a praefatis contribuere debentibus non fuerit aliter pro suis portionibus prompte provissum quacumque bonorum mobilia, suppellectilia, utensilia, & vasa aurea, & argentea, gemmas, & localia, quam se moventia, ac immobilia etiam jurisdictionalia, & feudalia, necnon Canones, livellos, census, redditus annuos, fructus, & proventus, actiones, & jura cujuscumque qualitatis, & naturae ad Ecclesias, Monasteria, Collegia, Conventus, mensas, Capitula, Dignitates, Officia, & Beneficia, Praeceptorias, seu Commendas, hospitalia, & alia loca pia supradicta respective spectantia, & pertinentia, pro rata tamen, & quantitate, seu portione subsidii, & con-